Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26462
Copyright: Admont, Benediktinerstift

superbus, prius hoc deputans viribus non iusto iudicio dei, quoniam iuxta psalmistam non est deus in conspectu eius. polluuntur vie eius in omni tempore. auferuntur iudicia dei a facie eius.

Ioth

Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius, quia vidit gentes ingressas sanctuarium tuum. de quibus preceperas ne intrarent in ecclesiam tuam. Propter peccata populi hostilis exercitus devastatus est templum domini et omnem ornatum eius deiecit. quod nec ingredi nec in aliquo contingere debuit. Reppulit enim dominus tabernaculum suum in quo habitavit inter homines. et tradidit in captivitatem virtutes eorum. et pulchritudinem sprevit. Si et nos si non observaverimus diligenter claustra cordis nostri et per aliquem sensuum nostrorum hostis antiquus patentem invenerit introitum. ingreditur per suggestiones pravas et illicitas concupiscentias in sacrarium anime nostre. ubi sancta trinitas per fidem veram habitare consuevit.